

27.

Q. B. V.

SERMONES,

quibus

OPTIMAE SPEI

IUVENES,

Frideman Gabriel Cramer/ Vffhof.

Andreas Balthar/ Merxleb.

Io. Christoph. Helmbold/ Longosal.

Io. Christian Sankenberger/ Mega-vvelzb.

QVAE SIT OPTIMA COGNITIO,

breviter quisque nervoseque exponent,

Et, ante suum in academias discessum,

d. 24. Apr. H. L. Q. C.

bene de se meritis gratias agent,

Omnibus, quorum id scire interest,

officiose significat

M. CHRISTIANVS MICHAEL Gischbeck/ R.

LONGO - SALISSAE,


Typis Io. Christophori Heergartii.

r. erud.

4, 32

de eruditio sine pietate

Vitt Theology etc. - Vol. I in vitiis Eruditor.



Eruditio a pietate seiuncta noxia saepe §. I. in causas eius rei inquiritur II. exempla adducuntur perniciosorum Philologorum III. Theologorum IV. Ictiorum V. Medicorum VI. Remedia contra talem perversitatem proponuntur VII. Ad praesens institutum perorandi accommodantur VIII.

I.



Vm ea demum respublica felix sit, quae eruditis hominibus liberalibusque studiis affluit: multum tamen imminuitur de felicitate eius, si docti viri humanis potius, quam diviniis litteris dant operam, magisque eruditam, quam piam religiosamque mentem aestimant. Etsi enim impiorum hominum scientiam, quae magna saepe est, falsam appellare cum nonnullis, quibus hodie non nisi novae opiniones placent, minime audeam; cum sanctissimus Paulus Dei cognitionem hominibus insitam, quam illi iniuste captivam quasi detinent, veritatis nomine dignetur (1): illud tamen asseverare minime dubito, magnam scientiam, a pietate seiunctam, hoc nocentiores publice esse, quo pulcrior comptiorque & fortior per doctrinam virtus est, coloremque ab illa, sanguinem & robur ducit. (2) *Artibus enim, Plautus inquit, se qui male utantur, latam fenestram ad nequitiam aperiunt.* Et Siracides: ὅσω ὀξύτερον βλέπει ψυχάρμον, τοσῶτω πλείω κακὰ ἐργάζομενον (3) Quod non nisi de ingenio, virtute destituto, pronunciatum putamus.

II. Causas huius pernicipi ut e longinquo arcessamus, minime putamus opus esse, cum sint in propatulo. Quot enim reperias eruditos, qui humana magis, quam DEVM eiusque voluntatem curent, & quibus quaelibet de divinis sentiendi libido puriore religione sit carior? Pars de credendi capitibus pure sentit quidem, sed impure vivit, quoque doctior, hoc saepe corruptior: cuius auctoritas quia in excelsis est, pluribus est offendiculo, quippe quorum oculos in se convertit, sed in idem secum exitium trahit. Alii divinarum humanarumque rerum studium coniungunt, sed divina humanis turpiter miscent: & cum

(1) Rom. 1. 18. (2) 1. Lips. ep. 16. cent. 1. (3) c. III.

& cum omnia ad Deum, tanquam originem suam, nihil ad seipsum referre deberent, ingenium suum plus aequo approbant, & ostentui habent, nihilque suis viribus arduum rati, aliena magis, quam sua curant. DEVS itaque, qui castam mentem amat, deque sua gloria nihil sibi ab hominibus detrahi vult, hunc sui neglectum non cessat ulcisci, ut contemnentes ipsi sibi sint perniciosi, contemptus sui praemium stultitiam reportantes. (4) In quos recte convenire videtur illud Venceslai Imp. *Μωρόσοφοι μωρότακοι*. Quo magis enim sapere sibi videntur prae aliis, hoc difficilius erit factu, dare ipsis consilia, quibus ad sanio-rem mentem redire ipsos, vitiaque virtutibus emendare liceat.

III. Declaravit id omni aetate temeritas Philologorum. Hoc enim hominum genus ita humaniorum litterarum dulcedine capitur, ita immersum est studiis elegantioribus, ut omne tempus litteris, nihil Deo tribuat, omnia prae illis postputanda existimet. Inde evenit haud raro, ut multi vel exigua, vel nulla religionis aeternaeque salutis cura tacti, ad detestandum neglectum Numinis prolabantur. GABRIEL NAVDAEVS, doctissimus vir, de religione, quam profiteretur, quaesitus: *Intus*, dixit, *ut lubet, foris, ut moris est*. (5) Eadem, si non deteriore mente IVSTVS LIPSIVS fuit, primo Ienae doctor Lutheranus, deinde Calvinianus, denique Pontificius, scriptor de constantia inconstantissimus: qui in omnibus religionibus nonnulla, quae sibi displicerent, invenisse ratus, confessus saepe est: omnem religionem & nullam religionem sibi unum & idem esse. Perronius asseverat, Lipsium per omne illud tempus, quo Lugduni in Batavis commoratus est, nunquam ad sacrum corporis Christi epulum accessisse (6). Nec minor audacia in illis deprehenditur viris, qui humanae sapientiae nimium confisi, ne sacro quidem codici reprehendendo pepercerunt, eiusque dictionem nunc lectione indignam, ut P. Bembus fecit (7), nunc barbarismis & soloecismis refer- tam cum CAPELLO, ERASMO, BEZA, R. SIMONIO (8), nunc ad erroneum captum vulgi accommodatam cum N. COPERNICO (9), nunc aliis modis corruptam, inique autumant (10). Hos omnes, dum humanam profanamque sapientiam ad divinum codicem explicandum intempestive attulerunt, huius simplicitate sprete, nescio quae vertigo, unde lapsus ortus est, ex iusto DEI iudicio cepit.

) (2

IV. Do-

(4) Rom. I, 20. (5) Max. Reverend. L. de Vedig Diss. de religionum in- differentism. θ. XV. (6) Reinhardi theatrum prudentiae elegant. p. 189. (7) T. Lansius Cons. p. m. 782. sq. (8) v. Engelke Diss. Schomeri Coll. contr. praemiss. (9) v. D. Fecht syll. contr. rec. Diss. IV. §. 4. sq. (10) Engelke Diss. all.

IV. Dolendum vero maximopere est, in theologorum etiam numerum aggregasse se, qui publice nocuerunt. Primum locum tribuimus Io. FVNCCIO, qui Alberti, Marchionis Brandenburgici a concionibus aulicis, quod negotiis civilibus nimium se immisceret, securi percussus πολυπραγμοσύνης poenam dedit. (11) Sed non illi solum culpandi hoc loco, qui doctrina abusi turbas dederunt, verum hi quoque, qui planis perspicuisque divinius scripturae sententiis neglectis, ad inutiles quaestiones, impeditasque & perniciosas sententias prolabantur, & monstra alunt. Qvales olim castigavit primarius in academia Lipsiensi theologus A. RECHENBERGIVS, duce Kromayero disputatione de malefana in theologia curiositate scripta, quae insigniter locupletari posset portentis eorum, qui vocabulis *principii, personae*, aliisque infensi, idque, Fechtio iudice (12), non sine *ἑτεροδοξίας* suspicione, male quaerunt: Annon tres Deitatis personae sint emanationes essentiae divinae? (13) Qui visibilem CHRISTI apparitionem hodieque statuunt ante ultimum eius adventum; (14) qui denique novis revelationibus student, quibus regnum illud millenarium defendunt. Quod I. VV. PETERSENIUS fecit, (15) tam sancto munere propterea deiectus: qualia fata etiam I. M. LANGIVM in academia Noricorum nuper expertum esse cognovimus (16).

V. Neque vero minor numerus invenitur iureconsultorum, qui de alienis magis, quam suis solliciti, communia damna in medium attulere. Testis est IVSTVS IONAS, Theologo cognomine procreatus, qui quod cum Grumbachio conspirasset, sceleris poenas dedit, notatu digno versu nobis relicto: (17)

Quid iuvat innumeros scire atque evolvere casus?

Si facienda fugis, si fugienda facis.

Nec praetereundus nobis H. GROTIUS est, Iudaizo-Papizans Calvinianus, & nullarum partium homo a Calovio (18) vocatus. Hic cum stupendae eruditionis vir esset, & in senatu Roterodamensi satis haberet, quod ageret; transfuga tamen ad divinius codicis interpretes, dicti Calovii calamo notatus, & ob varias in religione novitates ab

Hollan-

(11) Bucholz. Ind. Chron. p. 617. (12) Philocal. S. p. 7. (13) Cel. Bücherei Lutherus Anti-Pietista p. 74 seqq. (14) Legenuper editam relationem visionis Hatzgerodensis, cum animadversione Theologi, & iudica. (15) Wahrheit des herrl. Reichs (16) Magn. Vernsdorffii progr. quo I. C. Ernesti vita recensetur, D. V. Tr. p. 1710. (17) Micrael. H. E. ed. Hart. p. 770. (18) Praef. Bibl. Ill.

Hollandiae Frisiaeq; Ordinibus in carcerem coniectus fuit (19). Nam qui alterum pedem in suggestu, alterum in curia habet, plerumque ad ruinam tendit. [20] Tales vero iuris sacerdotes, & viros politicos, qui res theologicas ad suas consultationes trahunt, magna libertate obiurgavit IOANNES MATTHAEVS theologus: *Vos, inquam, theologis servis Christi, ac si servi vestri essent, praescribere non verecundamini, quid concionibus publicis & scriptis reprehendere, & quid approbare debeant.* (12) Plura de perverforum ICtorum [nam probi semper excipiuntur] improbitate, versutia, lucri cupiditate, indeque oriente damno conqueustus est IO. VVOLFIVS IC. (22) ad quem cupidum lectorem amandamus.

VI. Non omittendi nobis medici sunt, qui cum artem suam, per se maxime salutarem, & hominis sanitati divinitus consecratam, magna pietate religiosaq; providentia exercere deberent, ex lucri & in-
 clarescendi cupiditate illa abusi, magna saepe damna in societatem intulerunt, mortemque pro vita dederunt. Testis est repentina mors Caroli II. Imp. quam illi medicus, eximie a Caesare dilectus, veneno pro medicina dato, intulit (23): testis est Fridericus II. Imp. medici infidiis in magnum vitae periculum coniectus (24): testis est Güntherus, comes Schwarzburgicus, & in locum Caroli IV. Imp. susceptus, ope medici, Freydanck dicti, extinctus. [25] Nescio vero, quo fato fiat, ut medici, propria theologorum negotia aggressi, graviter prae aliis lapsi sint, multasque turbas dederint: cum tamen artis medendi usum in convertendis infidelibus insignem plane fuisse, Excell. REINHARDVS [26] doceat. Non ignotus est furor THEOPHRASTI PARACELSI, CORNELII AGRIPPAE, [27] ERASTI, IOACH CVRAEI, [28] cum primisque CASP. PEVCERI, qui Luthero infensus, cum novum Catechismum in scholas inducere vellet, ab AVGVSTO septemviro imperii iussus est suam tractare medicinam, & vitrum urinarium inspectare, causasque theologicas missas facere. [29] Cuius quidem calamitas omnes deterere debebat a malo proposito, novas periculosasque sententias contra Scripturam S. confictas, publice magnoque cum offendiculo defendendi. Quod nuper adhuc fecit medicus Delitiensis, qui, spretis Magn.

) 3

V. E.

[19] B. Röhrensei not. MSC. in Kulpis. [20] Gv. Lyseri Syst. p. 17. [21] Io. Volfii Lect. Mem. ad A. 1597. p. 1041. sq. [22] l. c. (23) C. Matthiae theatr. hist. in vita Caroli II. p. 846. (24) id. p. 955. (25) Michael. Hist. Civ. ed. Hartn. p. 507. [26] theatr. prel. p. 789. [27] Bucheri Haupt = Gr. des Fanaticismi [28] Quenst. dial. de patr. ill. vir. p. 190. (29) VVolf. Lect. mem. p. 956. sq.

V. E. LOESCHERI monitis, in perverfis opinionibus perstitit, castigatus a magno, dum viveret, theologo I. G. NEUMANNO. [30]

VII. Atque haec doctorum virorum incommoda ut declinentur nobis, primo omnium opus homini est, ad quodcunq; demum se accingat studium, cognitione DEI, sui ipsius, & subsidiorum, quibus DEO reconciliari, pieque vivere, & tandem adspirare ad aeternam felicitatem possit. Quo enim maioris aestimanda est animae salus praeter corporis integritate decoreque, quod cadacum fluxumque est, velut humana omnia; hoc intentius studium in diviniorebus rebus ponendum. Neque studia nostra in eo magis terminari debent, ut animum doctrina confirmet, quam virtute exornent. *Parum*, Marius inquit, placent mihi *haec literae, quae ad virtutem doctoribus nihil profuerunt* [31] *Mali enim*, ait Cominaeus, *peiores multo per scientiam fiunt.* [32] Deinde non sapit, qui multa novit, & more invidorum sibi modo retinet, vel iis ad pompam & ostentationem utitur; sed, qui optima quaeque, & in omnibus, quantum satis est, discit, omniaque ad DEI gloriam, ad actionem, utilitatemque publicam refert. [33] Tandem sua cuique munia diligenter fideliterque obeunda sunt, probeque considerandum, neminem satisfacere vocationi suae, sed plura demandata sibi esse, quam quae viribus suis exsequi possit. [34] Ita enim a vitio curiositatis, quod multorum capita in exitium coniecit, optime sibi cavebit.

VIII. Verbofius haec persequerer, nisi quatuor scholae nostrae moratissimi huc usque alumni, sub suum in academias discessum de morte verba facturi ultima, id sibi datum existimaverint negotii, ut de primaria optimaque hominis cognitione, praesente docta antiquitate, soluta quisque oratione exponerent, ultimumque valere dicerent. Primo enim FRIEDEMANNVS GABRIEL Cramer/ CASPARIS, olim huius scholae celeberrimi rectoris, ex filio, divinae voluntatis in hac vicinitate

[30] *Disp. de Theosophia.* [31] *Sall. bell. Jug.* [32] *L. V. c. 18. f. 349.* [33] *Hoc nomine laudandus mihi est Clarissimus Vir I. C. OLEARIVS, scriptis historicis dudum immortalam laudem meritus, qui ad C. Bruschi historiam, Pl. Rev. I. C. VTHENII impulsu nuper a me editam continuandam, scriptis ad illum litteris, mentionem fecit libri, iam A. 1548. Arnstadii, ab illo editi, quo epistola Lentuli & P. Pilati ad Tiberium de statura Christi, eiusque morte & resurrectione; neque minus epistola Abgari ad Christum, & Christi ad illam responsio continetur, a Bruschio latine versa, & Generosissimo GEORGIO de VITZLEBEN tunc Arnstadii degenti dicata; pro qua liberalitate & benevolenti in nos animo degentes ipsi gratias agimus.* [34] *Sir. III, 24. sq.*

nitate explanatore, doctrina exemploque egregio, nepos, antequam
 adolescentiam suam ad capeffendam rempublicam transmittat, commi-
 litium suum adhortabitur pia sententia: *γνώθι θεόν*. Ad hanc enim ma-
 teriam hoc aptiorem eum putavi, quo diligentius eius ingenium ab ho-
 minum perversitate ad pietatem translatum magna cum voluptate
 mea cognovi. Deinde comes itineris Vitebergam suscipiendi IO.
 CHRISTIANVS Langenberger/ cuius ingenium, morumque suavitates,
 praeclarosque cum in optimarum artium, tum in sacrum imprimis stu-
 dium impetus ex usu domestico convictuq; satis per biennium cogni-
 tum, non eximie collaudare non possum, bene de se merentibus elegan-
 ti elego gratiasaget pro beneficiis, si condiscipulis suis acclamaverit il-
 lud sapientis: *γνώθι σεαυτόν*. Tum surget ANDREAS Walther/ cu-
 ius assiduitas, & quam cum sacro studio saluberrimo nexu coniungit,
 pietas itidem ex usu domestico cognita mihi est, expositurus
 necessarium illud praeceptum: *γνώθι χεῖρόν*. Quo facto patronis ac
 praeceptoribus, ceterisque, quorum in se studia exstant, carmine Ger-
 manico gratiasaget, & prospera quaeque pie adprecabitur. Denique
 IO. CHRISTOPHORVS Helmbold/ ab ingenio & diligentia merito
 comendandus iuuenis, explanabit illud Thaleris: *γνώθι καυρόν*. Quo ser-
 mone finito carmine Germanico omnium in se promerita collaudabit.
 IX. Ceterum quae hucusque de optima cognitione dixi, in oden
 quandam, tanquam omnium summam contraxi, quam cum alumni no-
 stri, musicam docti, modulate canturi sint, hic adiicere placuit.

I.
So heissen den auch die Gelehrte/
 Die nur den schönen Namen
 führen?
 Da sie doch sind in Grund verkehrte/
 Von denen gar kein Nuz zu spühren.
 Als wie die Hummel denen Bienen
 Und ihren süßen Honig schad't/
 Und diß zur Warnung uns läst dienen:
 Was Schönheit/ ohne schöne
 That:

2.
 Mit Recht wird der gelehrt genennet/
 Der Gott/ der Welt/ und ihm selbst
 nützt/

Der Kunst u. Frömmigkeit nicht trennet/
 Und nicht bey alten Grillen
 schwigt.

Als wie der Eelbaum besser trägt/
 Wenn man ihm Dürre Zweig' ab-
 schneidt/
 Daher er diese Umschrift heget:
 In immer besser Fruchtbarkeit.

3.
 Gott kennen/ ist die rechte Lehre/
 Die uns zur Himmels = Strasse
 weist/
 Die richtet all's zu seiner Ehre/
 Was andre Kunst vortrefflich heist.
 Nicht

Nicht anders als die Sonnenblume.
Sich allzeit nach der Sonnen dreht/
Und führt diß Wort zum Eigenthume:
**Wohin das Licht des Himmels
geht.**

4.
Ein Weiser lernt sich selbst erkennen/
Daß sein verderbtes Herz betreugt/
Und nicht kan Christ den Herrn recht
nennen/
Wo es nicht Gottes Geist erleucht.
Gleichwie ein wilder Stamm gut trägt/
Weñ man drauf pflößt und oculirt
Und diese Lehr ins Herze leget:
**Nicht eigne / sondern frembde
Zierd.**

5.
Wol aber dem / der Christum kennet/
Und Hülf in seinen Wunden sucht/
Wenn Sünde ihn von Gott abtrennet/
Und Moses auf ihn hefftig flucht.
Er ist dem Weinstock gleich zu schätzen/
Den man an einen Zimbaum hefft/
Und diesen Reim sich läst auffsetzen:
**In Schwachheit Stärcke / Schutz
und Kräfte.**

6.
Doch wer die edle Kunst wil fassen/
Die hier geehrt / dort selig macht/
Muß keine Zeit aus Händen lassen/
Da Gott auf unsre Wolfahrt wacht.

Wie Janus zwey Gesichter führet/
Weil er in alle Zeiten sieht/
Daher der Reim die Stirne zieret:
Auff alle Fälle abgericht.

7.
Nun lern / mein Herz / die besten Künste/
Zumal die Kunst / die selig macht.
Verachte zeitliche Gewinste/
Nach welchen nur ein Miedling
tracht.
Sey gleich dem Licht / das andern
mühet/
Und sich verzehet mit seiner Glut/
An dem die schöne Umschrift blißet:
**Nur andern / nicht sich selbst zu
gut.**

8.
Der höchste Gott wird Segen streuen
Auff deinen Fleiß nach Herzens
Freud /
Du wirst das Vaterland erfreuen
Mit Tugend / Kunst und Frömmig-
keit.
Als wie die Sonn mit heißen Stralen
Dem schwangern Felde Früchte
schafft/
Darauffich diesen Kranz wil mahlen:
**Durch wunderbare Seegens-
Krafft.**

A VOBIS vero, HONORATISSIMI MVSARVM NOSTRARVM
PATRONI, qua par est, observantia atqve diligentia etiam atqve etiam
peto contendoqve, ut iuvenibus oratoribus in frequentissimo Vestro
confessu craftino, DEO volente, die surgendi exoptatam facultatem, spe
statissimaqve Vestra frequentia maiora conandi occasionem perbenigne
indulgeatis. Quicquid in me erit studii, ad tantam benivolentiam quo
dammodo demerendam lubentissime conferam, P. P. d. 23. Apr.